



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Sacerdotii Origine & Præstantia - Variis item Industriis, & Praxibus, quibus Sacerdotes boni ad Dei gloriam suámque & Proximi salutem promovendam sunt usi ; Malorum Qvoque Sacerdotum infelici interitu, radicibus, & remediis Cui etiam Compendium Ritualis, ea, quæ pro commodiori Sacramentorum & ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1681**

Membrum 3. De minoribus Ordinibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48600](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48600)

## DE MINORIBUS ORDINIBUS.

I. Quatuor Minores & Ordines a. dari possunt extra Missarum Solemnia, diebus Dominicis, & Festivis duplicibus b. Sed in manè tantum.

*T.* Sic dicti, non quia non verè etiam sunt Sacramentum, sed quia non ita propinquè ad Sacramentum Eucharistiae accedunt, votumque castitatis annexum non habent, sed cum iisdem Sacramentum Matrimonii consistere possit, uti Concilium Trident. *sess. 23. de reform. c. 17.* definitum, ob quam causam etiam *non sacri* dicuntur.

*A.* Quæ vox ut rectè intelligatur, notandum est, Ordinem dupliciter accipi solere. 1. Pro quodam gradu seu potestate spirituali conficiendi Sacramentum Eucharistiae vel ministrandi in ordine ad illud. 2. Pro ipsa Ordinatione, seu sacro ac solempni ritu externo, quo huiusmodi gradus seu potestas spiritualis alicui confertur; utroque modo hoc in loco intelligi potest, cum & ritus in collatione Ordinum adhiberi soliti explicentur, & potestas spiritualis per quemvis Ordinem significata conferatur.

*B.* Intellige tam de Festis Chori, quàm Fori, ut supra ex probabili sententia ostendi.

II. Ordinandi omnes ad quatuor Minores Ordines esse debent superpelliceis induti c. cum candela in manu dextra. d.

*C.* Ut ex ipsa veste discant, quanta cum puritate mentis ad Sacerdotium accedere debeant; certè S. Chrysostomus tam purum esse debere Sacerdotem existimabat, ac si in medio Angelorum choro existeret.

*D.* Ut sibi potissimum dictum credant illud Christi Luc. 12. *Sint lumbi vestri praecincti, & lucerna ardentis in manibus vestris. Ut sic luceat lux vestra (boni exempli & vitæ) coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in calis est.* Matth. 5.